



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtru[m] vitiu[m] intemperantiæ sit maximè exprobrabile? 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

rationes ciborum, vel venerorum, quæ ad conferuationem vitæ ordinantur. Et ideo difficilius est vincere timorem periculis mortis, quam concupiscentiam delectationum, quæ est in cibis, & veneris: cui tamen difficilius est resistere, quam iræ, tristitiæ, & timori quorundam aliorum malorum.

Ad tertium dicendum, quod in timiditate consideratur magis voluntarium in vniuersali, minus tamen in particulari. Et ideo in ea est magis voluntarium secundum quid, sed non simpliciter.

ARTIC. IV.

*Virum peccatum intemperantia sit maximè exprobrabile?*

694

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod peccatum intemperantiæ non sit maximè exprobrabile. Sicut enim honor debetur virtuti, ita exprobratio debetur peccato. Sed quædam peccata sunt grauiora, quam intemperantia, sicut homicidium, blasphemia, & alia huiusmodi. Ergo peccatum intemperantiæ non est maximè exprobrabile.

*inf. 9. 143  
107. et 9.  
144. a. 1.  
ad 2. 2.  
9. 151. a.  
4. ad 2.  
3.*

**¶ 2** Præterea, Peccata quæ sunt magis communia, videntur minus esse exprobrabilia: eo quod de his homines minus verecundantur. Sed peccata intemperantiæ sunt maximè communia: quia sunt circa ea quæ communiter in vsum humanæ vitæ veniunt, in quibus etiam plurimi peccant. Ergo peccata intemperantiæ non videntur esse maximè exprobrabilia.

**¶ 3** Præterea, Philosophus \* dicit in 7. Ethic. quod temperantia & intemperantia sunt circa concupiscentias, & delectationes humanas. Sunt autem quædam concupiscentiæ, & delectationes turpiores concupiscentiis, & delectationibus humanis, quæ dicuntur bestiales, & ægritudinales, vt in eodem libro \* Philosophus dicit. Ergo intemperantia non est maximè exprobrabilis.

*li. 7. c. 4.  
¶ seqq.  
10. 5.  
li. 7. c. 21.  
a. me. 2.  
c. 5. 10. 5.  
¶ c. 12. 117  
ca. 1. 121.  
10. 5.*

**S**ED contra est, quod Philosophus † dicit in 3. Ethic. quod intemperantia inter alia vitia videtur iuste exprobrabilis esse.



q 103. a. i  
q 141. a.  
2. ad 3.

RESPONDEO dicendum, quod exprobratio oppo-  
ni videtur honori, & gloria: honor autem excellen-  
tiæ debetur, vt supra \* habitum est. Gloria autem cla-  
ritatem importat. Est ergo intemperantia maxime ex-  
probrabilis, propter duo. Primo quidem quia maxime  
repugnat excellentiæ hominis. Est enim circa dele-  
ctationes communes nobis, & brutis, vt supra \* habi-  
tum est. Vnde in Psal 48. dicitur, Homo cum in hono-  
re esset, non intellexit, comparatus est iumentis insi-  
pientibus: & similis factus est illis. Secundo, quia ma-  
xime repugnat eius claritati, vel pulchritudini, in-  
quantum scilicet in delectationibus, circa quas est  
intemperantia, minus apparet de lumine rationis, et  
qua est tota claritas, & pulchritudo virtutis. Vnde &  
huiusmodi delectationes dicuntur maxime seruales.

li. 33. Mo  
ral c. 21.  
parū an-  
te me ad  
sensum.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Grego-  
dicit \*, Vicia carnalia, quæ sub intemperantia conti-  
nentur, etsi sint minoris culpæ, sunt tamen maioris in-  
famiae. Nam magnitudo culpæ respicit de ordinatio-  
nem à fine: infamia autem respicit turpitudinem quæ  
maximè consideratur secundum indecentiam pec-  
cantis.

Ad secundum dicendum, quod consuetudo peccan-  
di diminuit turpitudinem, & infamiam peccati, se-  
cundum opinionem hominum, non autem secundum  
naturam ipsorum vitiolorum.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur intem-  
perantia esse maximè exprobrabilis, est intelligen-  
dum inter vicia humana, quæ scilicet attenduntur se-  
cundum passiones humanæ naturæ aliquantulum confor-  
mes. Sed illa vicia, quæ excedunt modum humanæ na-  
turæ, sunt magis exprobrabilia. Et tamen etiam illa  
videntur reduci ad genus intemperantiæ secundum  
quemdam excessum. Sicut si aliquis delectaretur in  
comestione carniū humanarum, aut in coitu bestia-  
rum, aut masculorum.

QVÆ-